

53.

1164—1182.

Abbot PETERS i Remi förord hos konungen af Sverige, med fl. för Biskop Folkv.

K. h. 2. 587. n:o 97.

*Regi Sueonum, & Ducibus, & Principibus, & eorumdem Archiepiscopo & cunctis suffraganeis eius.*

Cum animi Deo deuoti principale & summum debeat esse studium, ad gloriam & honorem Dei omnia componere, si forte aliquatenus se omnipotenti Deo placere, vel leuiter senserit, cumulatis intrinsicis gaudiis totum se effundit, tanquam liquefactus post sponsum, acclamans & dicens: *Exultabimus & lætabimur in te memores uerbum tuorum.* His nostra paruitas prouocata exemplis, etsi in multis, immo pene in omnibus, quotidie me sciam peccare, & non ut iustum est diuinis mancipari studiis, in hoc vno non vsquequaque despero de misericordia Dei, quia de manu nostra manipulum benigne suscepit, domnum Fulconem Episcopum, quondam monachum nostrum, & in claustrali religione a nobis enutritum, ad summum prouexit sacerdotium. Recognoscimus in eo vultum nostrum, & speramus quod non recedat cor eius a Deo nostro, & a mandatis eius. Cum ergo opportunitas grata obtulerit, quod tempus habere possumus adhuc eum instruendi & informandi in ampliorem Dei dilectionem, gratanter & deuote excipimus, quia ulterius non eum videndum, vsque ad thronum gratiæ, & ad distributionem æterni stipendij arbitramur. Ad hæc ipsa temporis incommoditas cooperatur desiderio nostro. Si enim vterque nostrum vellet, discrimina & pericula quæ habet transire non posset. Inundantia enim aquarum, ut audiimus, tanta est, ut vix serenissimis temporibus meabile sit iter quo ad vos peruenitur. Tertia denique causa subest, quia domnus Archiepiscopus noster Romam pergens officium suum nos supplere commisit. Nequaquam autem in dedicatione Ecclesiarum, vel ordinatione clericorum, vel confirmatione Christianorum Abbatis assurgit dignitas. Per ipsum ergo, qui in omnibus noster est, implemus, quod per nos non possumus. Veniet autem ad vos plenus Dei benedictione, cum tempora fuerint meliorata. Valete.

54.

1165—1181, d. 10 Sept. Tusculanum.

Påfv. ALEXANDER III:s befallning till Ärke-Biskopen i Upsala och hans Lyd-Biskopar i Svea och Götha Riken att rätta flere, rörande Presterskapet, inrotade oordentligheter, såsom att verldsliga personer, i synnerhet de mäktigare i Socknen, efter behag eller för penningar, utan de andeliga myndigheternas samtycke, tillsätta Prester, hvaribland ofta förrymda